

DECRETUM GENERALE.

Post liturgicas recentiores leges a Summis Pontificibus Pio V. Clemente VIII, Paulo V. et Urbano VIII. conditas, gravis exarsit controversia inter Doctores et Rubricistas «An in Missis defunctorum aperiri possit tabernaculum ad Fideles pane Eucharistico reficiendos». Sacrorum Rituum Congregatio prima vice interrogata, in una Albinganen. 24. Julii 1683. ad IV. respondit: «*Non esse contra ritum ministrare communionem in Missa de Requiem, vel post illam cum paramentis nigris, ommissa benedictione, si administraretur post missam*». Verum controversia nondum composita identidem Sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit, quin unquam ad generale Decretum deveniret. Interea ex nonnullorum doctorum placitis, tum pervasit opinio, posse nempe fidelibus Sanctam Eucharistiam ministrari particulis tantum in Missa pro defunctis consecratis; tum in aliquibus locis mos invaluit missas defunctorum celebrandi in paramentis violaceis, ut non solum intra Missam, sed etiam ante vel post eandem pietati fidelium Sacra Eucharistia rellei cupientium satisfaceret. Quapropter Episcopis praesertim Sacrorum Rituum Congregationem saepissime rogantibus ut per generale Decretum quid hac in re faciendum sit statueret, Sacra eadem Congregatio die 12. Aprilis anni 1823. in una Panormitana edixit ut gravis haec quaestio *videretur peculiariter et ex Officio*. Quod iterum obtinuit anno 1837. in una Mutinën, ubi ad III. Dubium «*An mos qui per lural adhuc communicandi in Missis defunctorum cum particulis praeconsecratis, possit permitti, vel etc.*» responsum est: *Dilata et servetur rescriptum in Panormitana 12. Aprilis 1823*. Nihilominus ob temporum ac rerum circumstantias isthaec peculiaris negotii hujusmodi salebrosi disquisitio ad aetatem usque nostram dilata fuit; siquidem in Conventu die 16. Septembris anni 1865. collecto cum ageretur de usu coloris violacei in Missis defunctorum in altari ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, responsum fuit tertio «*Dilata, et reponatur una cum alio dubio an Sacerdos possit aperire ciborium ad communicandos fideles cum paramentis nigris*». Tandem novis supervenientibus Sacrorum Antistitum precibus die 3. Martii anni 1866. in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitii propositum fuit Dubium una cum sententia quam ex officio aperuit alter e Consultoribus «*An sacerdos possit aperire Ciborium ad communicandos Fideles in paramentis nigris?*» Verum Emi et Rmi Patres Cardinales responderunt: *Dilata, et scribat alter Consulor, nec non Assessor, reassumptis omnibus ad rem facientibus; habita praesertim ratione relate ad opportunitatem*. Typis traditis communicatisque hisce sententiis tum Rmi Assessoris tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris specialiter deputati, Sacrorum Rituum Congregatio in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunata est: ubi Emus et Rmus D. Cardinalis Nicolaus Clarelli-Paracciani loco et vice Emi et Rmi Cardinalis Constantini Patrizi Praefecti absentis idem proposuit Dubium, et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi re mature accurateque perpensa etiam quoad opportunitatem responderunt: *Affirmative seu posse in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, Sacram Communionem Fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris, ministrari Communionem immediale post Missam defunctorum: data autem rationabili causa, immediale quoque ante eandem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu quo die 2. Novembris Sanctissimae*